



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

9 De septima conditione in censu requisita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

postquam sunt constituti, & empi, venduntur? Respondeo in primis, legem, vel communem estimationem certum pretium decernere in censibus, qui venduntur, quando instituntur, ne venditores pecuniarum indigi, modico pretio res suas vendere cogantur.

At vero censibus constitutis, & venditis, non tam graue damnatum venditoribus infertur, quia venditor census non obligat, & supponit censui rem suam, sed censum suum, quem in bonis alterius habet, vendit.

Ad obiectiones vero respondent illi, legem, vel communem estimationem non taxare pretium censuum, qui ante constituti venduntur. Deinde ius ad centum aureos, quod aliquis habet, minoris estimationis, ac vendi solet.

Ego vero primam sententiam exilimo locum habere in ijs censibus, quorum certum est pretium, lege, vel communis estimatione: in alijs autem verum esse secundam opinionem: Vbi igitur annuus census vnius aurei venditur, & emitur quatuordecim aureis, vt in Hispania, & Italia, minoris emi non potest in hisce prouincijs, quia sic aliqui minoris emeretur, quam valeat: at reliqui census, quia nec lege, nec communis opinione certum pretium habent, possunt plures, vel minoris emi: & de his censibus puto Naturatum locutum fuisse.

Si roges, An Seius qui emit à Titio annum censum vnius aurei, decem & septem aureis, quem Titius emerat à Caio viginti aureis, possit tuto recipere viginti aureos ab eodem Caio, si ipse Caius velit redimere, & extinguere censum vnius aurei, quem vendiderat Titio aureis viginti? Ratio dubitandi est, quia Seius tantum dedit Titio sexdecim, vel septendecim, vel decem & octo aureos, ergo totidem potest recipere à Caio, non viginti. Respondeo, Seium emere totum ius, quod Titius habet in Caio, & Caius si redimeret, & extingueret censum, antequam Titius venderet, deberet Titio viginti aureos soluere, quia ab illo totidem accepit: quare si redimat censum, postquam illum Seius emerit, debet viginti ipsi Seio soluere.

Sexto quaeritur, An pretium census solui, & numerari debeat ab emptore coram testibus, & notario? Caput quaestionis est, An haec formula iuris scripti seruati debeat etiam secundum conscientiam? Haec quaestio pendet ex illa, An solennes formulae iuris scripti in contractibus seruandae sint secundum conscientiam? In qua re sunt duae sententiae Doctorum, de quibus Panorm. in cap. Quia plerique, de Immun. Eccles. & Couart. in cap. Cum esse, de Testam. Vna est asserentium solennes iuris formulas, ad euitandas fraudes, & dolos, seruati debere; ac proinde vbi nulla fraus est, seruato iure naturali, satis esse, si secundum conscientiam contractus fiat.

Alteri est opinio, formulam iuris scripti esse seruandam, etiam secundum conscientiam, quamuis absit omnis fraus: quia ius, inquit, scriptum, dat formam, & substantiam contractibus: praesertim si ius status, vt contractus aliter initus, nullius momenti. Ego tamen semper probabilius existimaui, quod prima sententia docet: ac proinde si reuera solutum sit pretium census, quamuis non coram testibus, & notario, secundum conscientiam valet, quia nihil fit in fraudem legis, cum posita lex sit ad euitandas fraudes. Deinde arbitrarij V. Constitutionem non esse vltu receptam eatenus, quatenus statuit, vt pretium soluat & numeretur praesentibus testibus, & notario. Vltus solum habet, vt pretium soluat coram testibus & notario: non autem, vt pecunia, quae soluitur, numeretur coram illis. Secus est, si simulata sit, & ficta solutio, vt si pacifcerentur emptor, & venditor, vt contractus inito, venditor emptori pretium restitueret vel ex toto, vel ex parte, ita vt solum emptor pecuniam ostenderet testibus, & notario, non esset vera solutio.

De septima conditione in censu requisita.

CAPVT IX.

EST in eadem Constitutione Pij V. septima conditio [Ne solutiones anticipatae, vt vulgo vocantur, fiant, nec in pactum deducantur.]

Haec conditio cum aequitate maxime congruit: quoniam aliqui venditori census graue onus imponeretur. Nam si annum censum initio cuiusque anni soluere deberet, pensionem redderet, antequam res supposita censui vltus fructus faceret. Huius igitur conditionis potest duplex sensus esse. Primus hic, vt verba Pontificis referantur ad pretij solutionem, ita vt liberum non sit, census pretium soluere, antequam sit initus contractus censuales. Alter sensus est, vt ea verba referantur ad solutionem annui redditus, & pensionis, ita vt emptor census nequeat exigere solutionem annuae pensionis anticipatam. Et hic sensus est proprius, & ideo magis cum textu conuenit.

Primo quaeritur, Quandonam census annuus, siue redditus sit soluendus emptori, an in principio cuiusque anni, an in fine eius, an vero in fine cuiuslibet semestris? Respondeo, debitorem tribus modis obligari, Aut pure, id est, absolute, & simpliciter, Aut in diem certum, Aut sub conditione. *Iust. de Verb. oblig. §. Omnis stipulatio*, vbi habetur: [Id quod in diem stipulamur, statim quidem debetur, sed peti prius, quam dies venerit, non potest: at ne eo quidem ipso die, in quem stipulatio facta est, peti potest, quia totus is dies arbitrio soluentis tribui debet.] Debitor census est obligatus in diem, quia annum censum soluere iure compellitur.

Sed quaestio est inter Iuriconsultos, An quando annuum est debitum, soluendum sit initio cuiusque anni, an vero in fine eius? Vnde *l. Nec semel. ff. Quando dies legatorum, vel fideicommissi. cedat*, dicitur: [Nec semel diem eius cedere, sed per singulos annos: sed vtrum initio cuiusque anni, an vero finito anno cedat, quaestio est. Et Labeo, Sabinus, & Celsus, & Iulianus in omnibus, quae in annos singulos relinquuntur, hoc probauerunt, vt initio cuiusque anni, huius legati dies cederet:] sic *ibi. & Gloss. in Iust. de verb. oblig. §. Ac si ita, in verb. annuos*, censet, debitorem decem aureorum annuorum, soluere oportere initio cuiusque anni; debitorem vero decem aureorum in singulos annos cogi soluere in fine, non autem initio cuiusque anni. Vnde versus:

Annua si debes, tunc inspicias caput anni.

Anno si debes, in fine teneberis anni.

Haecenus Glossa.

De hac difficultate Barrolus, & alij in *l. Qui hoc anno. ff. de Verb. oblig. §. l. r. c. Quando dies legati cedat*. Sed remotis sententijs Doctorum, Pontifex sua Constitutione prohibet, ne census annuus anticipato soluat: hoc est, ne initio cuiusque anni: siquidem res ipsa nondum fructum reddidit, & census annuus debetur ex fructibus rei.

Moris est, vt census annuus partim soluat in fine cuiusque semestris, & partim ad exitum anni. Quare debitor census, si in fine cuiuslibet semestris vniam partem, & in fine anni aliam partem non soluat, tunc est in mora ex *l. Magnam. C. de Contrah. stipulatione. §. cap. Potuit, de Locato*.

Quares, An debitor census adire domum creditoris cogatur, vt soluat? *Bart. in l. Item illa. num. 9. ff. de Constituta pecunia*, & Nicolaus cognomento de Milli in *Reper. in verb. Debitor*, affirmant debitorem ad id cogi. *Bald. in l. Acceptum. C. de V. jur. ait*, cum oportere ire ad domum creditoris, vel debitum deponere consignatum in publico, aliqui morosus debitor censetur.

Secundo quaeritur, An debitor census sponte sua possit anticipato soluere? Respondeo, posse, diuimodo tamen absit omnis fraus, & dolus contra legem: tunc autem est

fraus, quando est tacita pactio, quando itidem emptor non emerit censum, nisi venditor anticipato solueret. Præterea quando necessitate compulsus venditor sese obligat emptori ad soluendam anticipato annuam pensionem, ut emptor ipse voluerit. At quando debitor census sponte sua anticipato soluit, Constitutio Pij V. creditorem non prohibet accipere.

Tertio quaeritur, quid sit dicendum, quando pactum est, ut anticipato fiant solutiones, & ita in aliquot annos facta sunt? Questio in eo consistit, An non solum peccatum sit, sed etiam restituendum id, quod est acceptum? Respondeo, Constitutionem Pontificiam vetare, ne anticipato census annuus solvatur ex pacto, quia huiusmodi solutio anticipata, foeneraria, & usuraria habetur, quare non solum pactum iniquum, sed etiam usurarium censetur, ac proinde pensiones annuae, anticipato solvuntur, restituenda sunt.

De octava conditione census.

CAPVT X.

OCTAVO in Constitutione Pij V. habetur sic: [Conventiones directæ, aut indirectæ obligantes ad casus fortuitos, eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.]

Hæc conditio posita est in gratiam venditoris census: & est æquissima, quia emptor debet periculum subire rei sibi venditæ: nam sicut emolumentum, & commodum rei venditione perfecta ad emptorem pertinet, sic etiam periculum, & damnum. *l. Necessario. ff. de Periculo rei vend. & emptor census debet periculum sustinere census sibi venditi.*

Primo quaeritur, An venditor census possit obligari actione hypothecaria de evictione? Respondeo, posse, quia Pontifex solum prohibet, ne obligetur contra naturam contractus: at huiusmodi obligatio est emptioni, & venditioni consentanea: nam si res supposita censui euincatur in totum, vel ex parte, debet venditor venditionem defendere. *l. ff. de Evict.* Deinde si res illa non fuerit libera, sed alteri obligata, venditor etiam iure compellitur eam liberam facere; ergo emptor his obligationibus tenetur ex natura contractus.

Casus etiam fortuiti sunt in duplici differentia: Aut enim sunt casus in ipso censu, aut in ipsa re censui subiecta, & in utrisque vim, & locum habet Pontificia Constitutio.

Secundo quaeritur, An hæc conditio ex natura contractus requiratur, an solum ex Constitutione Pontificia? Conradus, Sotus, Covarruias, & Benedictus Bonius, qui putant in omni censu reali obligatam esse personam venditoris: ita ut si res obstricta censu fortuito perierit, adhuc venditor emptori obligetur, & debeat aliunde censum annuum solvere.

Dicent illi, hanc conditionem ex iure scripto, non naturali esse necessariam: sed Nauarrus, Virginius, & alij respondebunt, requiri ex natura contractus: quia conditione completa, periculum rei venditæ ad emptorē spectat. Cum item res perit, Domino suo perit, non alteri: ergo si res obligata censui fortuito perit, census extinguatur: Et hæc est verior sententia.

De nona, & decima conditionibus census.

CAPVT XI.

NONO prohibetur Pij V. Constitutione, Ne vltimo pacto adiecto auferatur, aut restringatur facultas alienandi rem suppositam censui.

Hæc etiam conditio posita est gratia venditoris, qui eam retineat penes se dominium rei, in qua censum constituit, debet esse sui rei moderator, & arbiter. *l. In re mandata. C. Mandati.* Sicut enim testator nequit prohibere, nisi iustis de causis, ne possit hæres bona alienare. *l. Filiusfamilias. ff. Digni. ff. de Legat. 1.* Sic emptor census nequit ea lege censum emere, ne venditor possit fundum, in quo est census constitutus, alienare.

Primo quaeritur, An hæc conditio census cum iure naturali congruat? Ratio dubitandi est, quoniam si res supposita censui arbitrata venditoris vendi possit, eo ipso aliquando ad possessorem deveniret, qui vel ob nimiam potentiam, vel inopiam, vel etiam malitiam nollet, aut non posset annuam pensionem solvere. Accedit, quod res est obligata censui, eo ipso igitur habet in ea aliquod ius emptor; ac proinde nequit venditor absque eius consensu eam rem vendere. Respondeo, conditionem æquissimam videri, quia censuales contractus est ab emphyteotico, & feudali omnino distinctus: nam rei in feudum, vel emphyteusum data directum dominium est penes eum, qui rem dat, & ideo possessor absque consensu Domini, eam rem alienare non potest: at vero directum dominium rei obligatæ censui, retinet penes se venditor census: ergo non est, cur veterem eam distrahere, & alienare. Præterea nullo damno Dominus census afficitur, quia non emit rem, in qua est census, sed censum annuum.

Postremo in ea Constitutione Pontifex decernit, ut si venditor rem vendere voluerit, id primitū denunciet emptori census, ut si ei libuerit, tantidem rem illam emat, sin minus, re alteri vendita, onus ad illum emptorem transibit, ita ut Dominus census debeat pensionem annuam exigere à secundario rei possessore, non à primario venditore. Quod si possessor secundarius noluerit, aut non potuerit censum annuum solvere, sibi imputet Dominus census, qui noluit rem rem emere, & tamen consensit in venditionem.

Sed quid dicendum, si eo infcio res vendita fuerit? poteritne convenire venditorum census, an vero tantum possessorem? Covarr. *lib. 3. var. resol. cap. 7. num. 22.* generatim docet, possessorem, non venditorum conveniri posse, quia res cum suo onere ad possessorem transit. Sed Virginius *de censibus par. 1. num. 23.* censet, in casu, de quo loquitur, Dominum census, & actionem habere, etiam in venditore, ita ut possit eum, vel eius hæredes in iudicio convenire, eo quod ipso infcio res est alteri vendita, ac proinde potest annuum censum exigere, vel à possessore rei, vel à venditore.

Secundo quaeritur, An Titius debitor census possit rem censui subiectam dividere, ita ut duobus, pluribusque in partes diuisam vendere queat? Respondeo cum Nauarr. *in commen. de usur. num. 114.* & Virginius *de censibus par. 2. num. 31.* posse: hoc enim nec est contra naturam contractus, nec contra Constitutionem Pij V.

Cæterum si pars rei censu obstricta vendenda sit, hoc denunciari debet Domino census, isque, si velit emere, est ceteris præferendus, & per mensuram expectandus iuxta Constitutionem Pij V. Nam lex quidpiam statuens de toto, v. g. fundo, habet quoque vim in parte eius. Vnde quemadmodum Pontificia Constitutio præcipit, ut moneatur, & certior fiat Dominus census, si totus fundus vendendus sit, sic etiam præcipit, ut ei denunciatur, si pars fundi sit distrahenda.

Tertio quaeritur, Quid sit dicendum, quando debitor fundum censui obligatum in plures partes diuisum pluribus